



**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitvlvm Ultimvm. Ut consultationi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](#)

32 Decret. Greg Lib. III. Tit. III. Cap ultimum.

mancerent ; alij verò post acceptam pri-
mam tonsuram matrimonium contraxerunt , & tonsuram nunquam deposuerunt , ut similiter liberi essent à contribu-
tione , & vestigalibus . De hac re An-
glie Regina questa est Honorio tertio ,
qui respondet hic , cùm Cæsari reddenda
sint , quæ Cæsaris sunt , & Deo , quæ
sunt Dei , ideo à talibus conjugatis Cle-
ricis , non minus quam ab alijs uxora-
tis tributa Regia exigi posse .

NOtandum . Clerici in minoribus , qui
uxores duxerunt , tributa , aliasque
exactiones secularibus Principibus solvere
debent , perinde , ac Laici . Consentit cap-
pit , unicum eodem tit. in 6. & docui lib.
4. t. 9. c. 7. n. 4.

CAPITULUM VLTIMVM. Ut consultationi.

PARAPHRASIS.

Siquis clericalem tonsuram , aut coronam
acepit , & postea miles factus sit , cogi
non potest ad Clericalem habitum de-
ferendum .

NOtandum . Si Clericus tonsuratus , vel
in minoribus Ordinibus constitutus ,
nolit servire Ecclesiæ , nec possideat bene-
ficium , ad tonsuram ferendam cogi non
potest , ita Abb. hic . Ratio est , quia talis
Clericus liber est à servitio Ecclesiæ ,
atque uxorem ducere non prohibetur .
Quod verò hic sermo sit de Clerico , qui
militiæ nomen dedit , id exempli loco al-
latum est . Responsio verò etiam in alijs
minoribus Clericis Ecclesiæ servitio non
mancipatis , aut illud deserentibus accipi
debet .

CAPITULUM UNICVM eodem Titulo in sexto.

Clerici.

PARAPHRASIS.

Si Clericus (in minoribus scilicet constitu-
tus) matrimonium contraxit cum uni-

ca , eaque Virgine , atque habitum &
tonsuram clericalem defert , privilegio
Canonis *Siquis studente canja 17. q.*
4. gaudere debet ; sed & privilegium
fori retinet , ita ut ad Judicium seculari-
re , seu criminaliter , seu civiliter aga-
tur , trahi non possit ; sed nec Judex ali-
quis secularis talem Clericum conju-
gatum in persona , vel in bonis con-
demnare , aut punire potest , *juxta cap. 2.*
de foro competente , quod sumptum est
ex Parisiensi Concilio ; alijs verò Cle-
ricorum privilegijs non gaudet Clericus
conjugatus , qui cum unica Virgine con-
traxit , imò nec ijs ipsis , Canonis videlicet
& fori , privilegijs frui potest , nisi habi-
tum , & tonsuram ferat , atque in Ec-
clesiæ servitio sit , uti haberetur in Tri-
dent. 23. *scff. c. 6. de reformatiōne.*

S U M M A R I U M .

1. Clericus , qui uxorem duxit , ut gan-
deat privilegijs clericalibus , que de
Iure antiquo requirantur ?
2. Reuperantur tamen privilegia clericalia , soluto per mortem uxoris ma-
trimonio , si clericaliter deinceps vi-
vere velit .
3. Poteſt tamen Clerico conjugato per-
mitti negotiatio .

NOtandum . Clericus , qui uxorem du-
xit , tanquam Laicus censetur , ita ut
Clericorum privilegia non participet , ex-
cepto , si uxorem unam Virginem duxit , at-
que habitum , & tonsuram ferens , aliquius
Ecclesiæ servitio , deputatus est , talis enim
duo privilegia clericalia habet canonis &
fori ; at verò tributa , vestigalia , aliasque
confuetas exactiones Magistratui seculari
pendere debet *juxta c. ex parte 9. b. iii.*
Vide etiam , quæ docui in cit. c. 2.

Quætitur primò : Si Clericus in minori-
bus uxorem duxerit , num privilegia ejus
clericalia penitus sint amissa , an verò po-
tiū suspensa , ita ut mortuā uxore ea recu-
peret , si clericaliter vivere velit . Respond.
cum Abb. in 6. Clericus 6. n. 4. de vita &
he-